ut in eiusdem limine est manifestum, duo duntaxat Capucini approbârint testando me nihil in eo adversùs Ecclesiæ Cath. doctrinam tradidisse; qui proinde & ipsi præter hanc doctrinam Cath. ne vel apicem quidem opusculi mei, multò minùs Novenæ illius fecerunt suum, ut quam vix viderunt, & minimè quidem perlegerunt. Quin & meipsum ad libelli illius defensionem obligari nolle satis apertè sum protestatus *cap.* 1. §. *sicut.* eiusdemque, *ut sic*, vix unum & alterum quid positivè defendendum suscepi. imò esse in eo non pauca, quæ ut jacent, & sonant, mihimet non probentur, abundè insinuavi cap. 1. & 12. Authorem tamen eatenùs excusavi, quòd tot & tanta hinc indè per totum habeat, quæ possint sanum sano cuilibet sensum abundè subministrare; & quibuscùm opinio prava in animo cuiusquam consistere omninò non possit, quantumcunque hinc indè occurrant dura & incommodè dicta.

Falsum ergò est 7. Quòd ais p. 4. *Frater sanè Dionysius tantùm non omnia libelli defendere suscepit.*

Non vero-sed falso-simile, imò falsissimum est, quod suspicaris, *me hominem violentum importunis flagitationibus à* p. m. Episcopo Maroccano *hanc tibi respondendi provinciam impetrasse*: Cùm enim oblatam illam recusarent alii probè scientes, quòd, qui *tecum* certat, dicere non immeritò possit: *ad pag. 6.*

Vinco, seu vincor, semper ego maculor.

Hinc cappæ, ut vocant, gryseæ id, quod nunc accidit, injuriarum tolerandum ratus bonæ mem. Dominus post 6. demùm à scripti tui receptione hebdomadas convenit me gratiosè rogans, ut responderem, quod & feci, & facio iras tuas contumelias & criminationes miserans, despiciens, ridens.

Profectò malè cocta, ut vocant, Garleia tam crudos tibi spiritus fecit, ut eò, quod ego insulsiorem Te pauculo conspersérim sale, scribere non dubitâris: habere me debuisse respectum non minus gravis, quàm magni Principis, à *ad pag. 8.*